SENTENTIA LATA IN CVRIA ILLVSTRISSIMI DOMINI IVSTITIÆ ARAGONVM, IN PROCESSV

Dionysij Sanchez Muñoz, sup. Iurisfir. grauam. factorum in articulo proprietatis, sub die 23. mensis Augusti, anni 1616. existentibus in ea Sapientissimis, Illustribus ac integerrimis Dominis Doctoribus Francisco à Mirauete, Antonio Augustino de Mendoça, Balthasare Amador, & Ioanne Francisco Salazar, Locũtenentibus ordinarijs, & Iosepho Trillo Locumtenente extraordinario, Illustrissimi Domini Don Martini Baptista de la Nuça militis, de Consilio suæ Maiestatis, ac Iustitiæ Aragon, & ipsius motiua.

IN processu, & causa, in Curia Domini Iustitiæ Aragonum habito, & actitato, intitulato, processus Dionisij Sanchez Muñoz super Iurisfirma grauaminum factorum, existente dicto processu, & causa in deliberatione super difinitiua sententia. Quatuor Domini Locumtenentes Illustrissimi Domini don Martini Baptista de la Nuza, militis Maiestatis Domini nostri Regis, Consiliarij, ac Iustitiæ Aragonum, fuerunt voti, & opinionis, quod debet pronuntiari, Iurisfirmam oblatam, obtentam, & præsentatam pro parte Dionisij Sanchez Muñoz, prin. Hiero. Abeña, L. Arcayne, & M. Cipres procur. fore, & esse recipiendam, & admitendam, recipique, & admiti debere, quoad omnia grauamina in cedula grauaminum pro eius parte oblata, deducta, & articulata, & reformando sententiam Iudicis à quo, declarari, villam, seu Pardinã, Castrum, & terminos de Escriche, vna cun Iurisdictione Ciuili, & Criminali, & iuribus

Dominicalibus pertinentibus ad dominium, & dominicaturam dictæ villæ, ſeu Pardinæ in præſenti proceſſu apprehenſos, & in fine cedulę grauaminum, &etiam in fine petitionis coram iudice à quo, oblatæ deſignatos, ſpecificatos, & confrontatos, pertinuiſſe & pertinere iure pleni dominij dicto Dioniſio Sanchez Muñoz, princ. dictorum Hier. Abeña, L. Arcayne &, M. Cipres procuratorũ, & condemnari Iuratos, Concilium, & Vniuerſitatem, vicinos, & habitatores Ciuitatis Turoli, conuentos, princ. P. Hier. Paſſamar procuratoris ad reſtituẽdũ dicto Dionyſio Sanchez Muñoz dictam villã ſeu Pardinam, Caſtrum, & terminos de Eſcriche, vna cum Iuriſdictione Ciuili, & Criminali, & iuribus dominicalibus ad dominium, & dominicaturam dictę Pardinę, & Caſtri de Eſcriche pertinentibus, vna cũ fructibus, lite pendente, a die apprehenſionis, vſque ad diem dictę reſtitutionis decurſis, retentis tamen in poſſe Ciuitatis Turoli decem & ſex mille ſolidis Iaccenſibus, ratione legati Magdalenę Muñoz relicti, ſilentium perpetuumm dictis conuentis imponendo ſuper prędictis, neutram partium in expreſis condemnando, cętera ſupplicata locum non habere, attent. conten.

Tres ex dictis quatuor Dominis Locumtenentibus fuerunt ex motiuis ſequentibus. Ex eo præſertim, Recipitur iurisfirma Dionyſij Muñoz, & reformatur ſententia Iudicis a quo. Quoniam conſtat de grauamine ab eo illato, apparet ſiquidem ex deductis in proceſſu, in eoque probatis, de vero dominio, &poſſeſſione Gaſparis Sanchez Muñoz, aui Dionyſij Sanchez Muñoz in bonis apprehenſis tempore confectionis teſtamenti illius, & eius mortis. Conſtat inſuper per eiuſdem Gaſparis Sanchez Muñoz teſtamentum in vim fideicommiſſi in illo appoſiti, & conſtituti, fore, & eſſe vocatum Dionyſium Sanchez Muñoz firmantem, nepotemque dicti Gaſparis vinculantis, eiuſque ſubſtitutionis, & vocationis caſum eueniſſe, inſtrumentaque a dicto Dionyſio Sanchez Muñoz ad effectũ ſuę legitimę incluſionis producta, in forma probãti exhibita fore cẽſemus: Ita vt meritò eiſdẽ plena ſit adhibenda fides. Nec obijci quidem poteſt, defeciſſe in ſua incluſione Dionyſium Sanchez Muñoz, eo quod Ioannes de Alfaxarin Notarius Cæſarauguſtæ, qui recepit inſtrumentum codicilli Santij de Heredia, ſub die vigeſimo ſexto menſis Maij, de anno milleſimo, quingenteſimo, vigeſimo, nono, nõ

fuit

fuit a testatus subscriptiones, a foro requisitas in matrice eius scripturę, seu prothocollo reperiri, & existere, idemque defectus concurrat respectu instrumenti donationis ab Isabella de Vera, vxore dicti Santij de Heredia, in fauorem Martini Molon confecti, sub die vigesimo sexto Iulij, eiusdem anni millesimi, quingentesimi, vigesimi, noni, a Ioanne Adam de Forz habitatore loci de Cariñena testificati, & recepti. Respondetur quippe, ea instrumenta fuisse concessa anno primo, proximeque subsequenti, post editionem forij sub titulo, forma para testificar actos, quo tempore Notarijs, vt ex tenore instrumentorum in hoc processu productorum elicitur, certus stylus circa modum, quo dicto foro satisfieret, cōstitutus non erat, sicque Notarij; modo vno, modo alio styllo vtebantur, semper tamen intelligentes dispositioni dicti forij satisfecisse, sufficit ergo subscriptiones a foro desideratas in originali nota existere, & reperiri, & tenorem earumdem subscriptionum in instrumento leuato, extractoque in publicam formam, insertum fuisse, ea enim insertio, eo tendit, ad eumque effectum a Notarijs effecta fuit, vt omnes qui instrumentum viderent, & legerent, intelligerent in matrice scriptura legitimas, & forales existere, & reperiri subscriptiones: fit igitur, vt si non verbis, factis tamen quę efficaciora sunt verbis, illud asseruerint, ac atestati fuerint. Nec cōsiderationis, est quod obijcitur contra instrumentum codicili Elisabetis de Vera, nempe alterum dumtaxat ex testibus rogatis, se subscripsisse pro testatrice, seu mauis codicillante propter eius impotentiam, non valentē, scilicet se subscribere, Notariumq; aliquā attestationē non fecisse, qua dixerit testatricem, seu codicillantē nō valuisse se subscribere, ratione suę indispositionis, & necessariam videri iuxta forum, talem Notarij assertionem, cum a foro eius discretioni id relictum fuerit; Huic enim obiectioni facilis est occursus, de foro siquidem non extat dispositum, nec sancitū, binos testes instrumētarios subscribere se habere pro testatrice, seu pro parte concedēte instrumentū, cuius subscriptio deficit ex illius impericia, vel in potentia non se subscribentis, & talis est Notariorū praxis, quod autem Santius de Heredia non valuerit se subscribere, aperte ex eodem codicillo colligitur, nam vnus ex testibus instrumentarijs in hunc qui sequitur modum subscripsit. *Yo dicho Ioan de Dicastillo Presbytero, soy testigo de lo sobredicho, y por quanto el dicho Señor Sancho de Heredia, no estaua en dis-*

posicion

posicion de poder firmar de su mano, en testimonio de verdad, y por su mandado me firme en el presente Codicillo por el dicho Sancho de Heredia, y por mi contestigo. Id autem sufficiens est, etenim Notarius recipiens instrumentum, cuius discretioni a foro nostro Aragonensi illud relictum fuit, satis attestatur de impotentia, faciendo, quod testis in eum modum, quo supra, se subscriberet in nota, & matrice scriptura, & leuando iustrumentum, cum insertione eorundem verborum, nequaquam igitur hæsitandum fore censemus de optima inclusione Dionysi Sanchez Muñoz. Cuius vocationē ad hæc bona apprehēsa, & successionem, nullatenus excludit Ciuitas Turoli rea & conuenta, quantumuis asserat dicta bona fuisse executata virtute hypothecarum ab ipsomet vinculante constitutarum, & in viam dictæ executionis vēdita Balthasari Nouella, a quo dicta Ciuitas ius, & causam habere contendit. Nam in consideratione maxima profecto sunt aliquę nullitates, quæ aduersus dictam executionem pro parte Dionisij Sanchez Muñoz proponuntur, & de quibus constat, quæ illam executionem, venditionem Curię, & trancam omnino destruunt, eneruāt, & vacuant. Et in primis illa, etenim etiamsi admitteremus villam, seu Pardinam de Escriche, & illius territorium ligari tempore dictæ factæ executionis forijs Turolensibus, iudex tamen Ciuitatis Turoli nullam habuit, sed nec habere potuit iurisdictionem extra territorium suæ iurisdictionis, & sic in territorio Pardinę, & terminorum de Escriche, nam dicta villa, seu Pardina, & eius termini, & territorium, diuersę, & separatę iurisdictionis erant. Nec releuat concessas fuisse ab eodem iudice Turoli literas mutui compassus, seu requisitorias directas Iudici ordinario Villæ, seu Pardinæ de Escriche, ad effectum dictæ executionis, Iudex namque ordinarius dictæ Villæ, seu Pardinæ de Escriche, & eius terminorum, ac territorij, prædictam executionem facere non potuit, nec Iudex ad id competens extitit, inuoluit enim cōtradictionem maximam, & de iure, & de foro actionem, & passionem simul vno, eodēq; tempore, in vno eodemque subiecto, & reperiri, & concurrere, & sic Iudicem ordinarium ex inferioribus Regni suæmet iurisdictionis cuius exercitium ad eum pertinet, executionem facere in vim eiusdemmet suæ iurisdictionis, similiter iudex ordinarius alicuius territorij ex inferioribus Regni totius sui territorij, & terminorum, in quibus iurisdictionem habet executionem, facere non potest, in

dictis enim casibus, & altero eorum, ad suprema Regni tribunalia recurrendum est, ideoque nullitatis vicio laborare dictam executionē manifeste, & euidenter, dicere, cōuenit. Adest etiā, & altera nullitas cū iuxta foros Turoli processus de entrega, seu executionis, intra tempus, & spatium duorum annorum sub decreto irritanti debeat finiri, id quod in occurrenti, casu factum non extitit, non enim executio illa, cui inititur ciuitas Turolensis intra spatium duorum annorum, sed nec intra triginta annos finita, & completa fuit, executio siquidem, seu entrega Pardinæ de Escriche incepta apparet, & inchoata anno millesimo, quingentesimo, quadragesimo, nono, trança verò, & venditio Curiæ, factæ fuere anno millesimo, quingentesimo, octuagesimo, secundo, forus autem Turoli, qui iubet executionem, seu entregam ad debitum finem perduci intra duos annos, de trança etiam, & venditione Curiæ intra dictum tempus conficiendis loquitur, & ita intelligendum fore censemus, quasi magis consonum, & literæ, & menti dicti fori. Nec hoc casu aliqua iusta causa considerari potest, ne finiretur dictus processus executionis intra prædictum duorum annorum spatium, potuit siquidem procurator eleemosynæ coram iudice diei veneris, ad cuius iudicium causa, & lis deuenerant, diligentias facere, & instare, & sic remouere quatenus in se esset, impedimentum, quas minimè fecit nisi post lapsum dictorum duorum annorum, suæ propterea desidiæ imputetur, qui non fecit, quod potuit, & debuit, & ideo non fuit satisfactum dicto foro Turoli, quo præcipitur, executionem, seu entregam finiri debere intra duos annos. Concurrit prætereà alia vrgens nullitas, nā secundum foros Aragonum, ac etiam iuxta Turolenses foros, in diebus Dominicis, in honorem Dei, Curiæ Iudicum secularium celebrari non possunt, a qua regula solum excepti reperiuntur duo casus à dictis forijs Turoli, nempè si agatur de quærella, seu deudo de hermandad, vel calomnia de palatio, in quibus, nec eorum altero versamur in occurrenti casu, ex literis, verò narratiuis exhibitis à ciuitate Turoli deducitur Curiam Iudicis dictæ ciuitatis Turoli celebratam fuisse in diebus festiuis, Dominicis scilicet in quibus duo enantamenta, quorum vnum nimis substantiale erat, facta apparent, & conspiciuntur, & sic dicta enantamenta nulla extitisse cum omnibus inde sequutis dicendum fore censemus. Consuetudo vero allegata à dicta Ciuitate in fomentum eius rei, non valet intentionē eius-

dem ciuitatis iuuate: Quandoquidem circa celebrationem Curię in diebus festiuis in dicta ciuitate Turoli nihil prouatum inuenimus. Denique præscriptio dictarum nullitatum (quæ satis specifice deductæ apparent in cedula grauaminum) allegata, & obiecta à Ciuitate Turoli, locum habere non potest, subducta de medio minori, & pupillari ætate quatuordecim annorum Dionisij Sanchez Muñoz, præterquam quod, præscriptio illa viginti annorum de quibus loquitur forus Turolensis in solis actionibus personalibus constituitur, non vero in actionibus Realibus, in quibus nunc versamur, neque altera præscriptio sex mensium constituta à dictis foris Turoli, ad hunc casum, qui longe diuersus est, ab illo de quo dictus forus loquitur adaptari potest, & cum Dionisius Muñoz proponat has nullitates excipiendo, præscriptio cadere nequaquam potest: quoniam quæ sunt temporalia ad agendum, perpetua sunt ad excipiendum. Vnde iure optimo prædictam iurisfirmam Dionisij Sanchez Muñoz recipiendam fore intelligimus, ac censemus, prout eam recipimus ex prædictis. Nō autem restituuntur prædicti decem, & sex mille solidi, quia non constat de aliquo grauamine proposito per dictum Dionisium Sanchez Muñoz, & aliàs atten. conten.

ALIVS verò dicti dñi Iustitiæ Aragonū locumtenens ex dictis quatuor, fuit ex motiuis sequentibus. Ex eo & aliàs quoniam ex deductis in processu plenè constat de verò & legitimo dominio Gasparis Sanchez Muñoz in bonis apprehensis tempore conditi ab eo testamenti, illiusque mortis: Constat insuper de fideicommisso ordinato ab eodem testatore in dicto testamento respectu dictorum bonorum in fauorem Dionisij Sanchez Muñoz eius nepotis, ac firmantis, suæque vocationis, ac restitutionis casum tempore litis ab eodē intentantæ euenisse, ac purificatum fuisse, & cum puri, ac purificati fideicomissi par sit ratio, merito dicto Dionisio tanquam domino, bona apprehensa restitui mandantur. Nec supradictum ius infringere possunt, quæ pro parte Ciuitatis Turoli, reæ, & conuentę pro exclusione Dionisij, proponuntur. Non primum, dum asserit, Dionisium in salutari defecisse, scilicet in probatione dominij eorum bonorum, quod vtique præcisè necessarium est in iudicio petitorio reiuendicationis ex parte actoris. Arbitratur enim possessionem triginta annorum, ex qua dominium inducitur, minimè in Gaspare testatore reperiri, etsi illius propriæ possessioni, suorum quoque authorum

thorum, à quibus ius, & causam habuit, adiungatur. Quippe, quod instrumentum codicili Santij de Heredia, à Dionisio productū, cuius possessionis accessione vti contendit, minus legitime, nec in forma probanti exhibitum fuerit, cum Ioannes de Alfajarin Notarius præsentis Ciuitatis, qui illud fuit testificatus, die vicesimo sexto mē sis Maij, anno millesimo, quingentesimo, vicesimo, nono, non atteste tur, subscriptiones à foro, sub titulo forma para testificar, requisitas, in eius matrice, ac protocolo reperiri, similique morbo laborare contendit instrumentum donationis factę ab Isabella de Vera di cti Santij vxore, in fauorem Martini Molon sub die vicesimo sexto mēsis Iulij dicti anni millesimi, quingentesimi, vicesimi, noni, a Ioanne Adam de Forz Notario loci de Cariñena confectum, quæ instrumenta a Dionisio exhibita fuere pro sui inclusione, & vt supra dictorū coniugum possessionis accessione, legitimam, & a foro requisitā tricēnalem possessionem, ad dominij probationem necessariam demonstret. Etenim prætermissis deductis, ac articulatis per Ciuitatem in articulis suæ cedulæ defensionum, productione, & exhibitione dicti testamenti Gasparis vinculantis, ex quibus implicitam, & explicitam dictæ ciuitatis confessionem dominij eiusdem Gasparis resultare pro parte Dionisij pretenditur, his inquam vt pote ad pręsentis causæ decisionem minimè necessarijs prætermissis, obex suprapositus, verè, & facilè euitari potest, si aduertamus, formam subscriptionum a foro inductam, non in leuatione instrumentorum, sed in matrice, ac protocolo requiri, vt verbis apertissimis eiusdem fori deprehenditur: quare defectus subscriptionum supradictarum cum non reperiatur in protocolo dicti codicili, & dictæ donationis: Qui nimo vere in eo subscriptiones forales inueniantur, instrumenta ab eo sumpta, & leuata, ac in iudicio per Dionisium exhibita, minime, ea de causa infringi valebunt, & licet fateamur (prout fatemur) iudici constare debere, vt sumptum ei fidem, ac probationem faciat, per Notarij attestationem de interuentu dictarum subscriptionum in scriptura matrice, a qua leuatum est, id tamē in pręsentiarum, haud quaquam, defecisse, comperimus: Siquidē dictus Ioannes de Alfajarin, qui de prædicto instrumēto codicilij rogatus fuit, quiq; illud in publicam formam leuauit, in calce illius, sic præfatur. *Fecho fue aquesto en la Ciudad de Çaragoça, a veynte y seys de Mayo, del año mil, y quinientos veynte y nueue, presentes por testigos Mossen Iuan de Dicastillo presbitero, natu*

ral

ral del Reyno de Nauarra, del lugar de Dicaſtillo, y Franciſco de Sopuerta eſcudero, habitantes en Çaragoça, & tenorem ſubſcriptionum, quæ in matrice continentur, prout in ea iaccent, ſic trãſcripſit. *Yo dicho Iuan de Dicastillo ſoy teſtigo de lo ſobredicho, y por quanto el dicho Señor Sancho de Heredia no eſtaua en diſpoſicion de poder firmar de ſu mano, en teſtimonio de verdad y por ſu mandado me firme en el preſente Codicillo por el dicho Sancho de Heredia, y por mi conteſtigo, yo dicho Franciſco de Sopuerta, ſoy teſtigo de lo ſobredicho.* Et tandem in ſignatura dicit: *Signo de mi Iuan de Alfajarin Notario publico de la Ciudad de Çaragoça, q̃ a las ſobredichas coſas, juntamẽte cõ los teſtigos de parte de arriba nõbrados, preſente fui, & aquellas, en parte, y aqueſto, ſegun fuero eſcribi.* Quæ ſubſcriptionũ inſertio, verbaq; Notarij, dicẽtis, eoſdẽ fuiſſe illius inſtrumẽti teſtes, & poſtea ateſtãtis de dicto inſtrumẽto rogatũ, omnibuſq; ſupradictis interfuiſſe, ac præſentẽ extitiſſe, quẽcumq; illud legentẽ, abſque eo quod recurrat ad matricem, certum reddit, ac ſecurum, ſubſcriptiones a foro requiſitas in ea reperiri, idque verbis, & factis a Notario fuiſſe teſtatum, nequaquam hæſitandum cenſemus: Nec opus fuit vti, ea verborum formula, qua tabelliones hiſce modernis tẽporibus vti ſolent, dicentes: *Las firmas que de fuero ſe requieren, eſtan en la nota original, &c.* Cum eo tempore, tam proximo editioni illius fori, non ita ſibi de certo, ac formi ſtyllo proſpexiſſent Notarij, ſed modo vno, modo alio vtebantur, non tam verborum formulam, quam rem, & effectum attendentes, cum vtroque modo ex ſupradictis, idem effectus reſultet. Quo etiam modo ſatisfactum putamus, ſimili obiectioni propoſitæ contra fidem dicti inſtrumenti donationis Iſabellis de Vera. Neque fides dicti Codicili euacuatur, eo quod alterius tantum teſtis ſubſcriptio reperitur facta pro teſtatore ſubſcribere non valente, deque illius impotentia fidem non facere tabellionem, cuius diſcretioni à foro id relictum, atque comiſſum fuit; Nam ſi mens, atque verba dicti fori diligenter, ac mature perpendãtur, nequaquam deciſum inuenietur vtriuſque teſtis, ſed nec alterius tantũ ſubſcriptionem, pro teſtatore, ſe ſubſcribere non valente, vel ignorante, fore neceſſariam: De impotentia autem dicti teſtatoris, ſatis Notarius ipſe ateſtari videtur, cum eius voluntate, ac mandato in ſua nota, & protocollo dictus Ioannes de Dicaſtillo teſtis, modo ſupradicto, ſe ſubſcripſerit, & in eleuatione inſtrumẽti, inſertio eorundem verborum contineatur. Minus etiam dicti

Dionyſij

Dionysij excluditur,ac intentum Ciuitatis Turoli roboratur,propter executionem horum bonorum,factam virtute hypothecarum Gasparis fideicomissum relinquentis,trançam, ac Curiæ venditionem,factam in fauorem Balthasaris Nouella, à quo Ciuitas,ius, & causam ostendit.Hęc quipe executio,trança,ac vēditio,varijs nullitatum exceptionibus à Dionysio opugnatur,inter quas ea prorsus insanabilis, atque ineuitabilis videtur, quod ex literis narratiuis dictæ executionis ab eadem Ciuitate exhibitis,deprehenditur Curiam Iudicis dictæ Ciuitatis celebratam fuisse in diebus solemnibus festiuis,&Dominicis,in quibus in dicto processu enantamenta Iudicialia facta fuerunt,inter quæ,illa valde substantialia conspiciuntur,scilicet reportatio literarum Iudicis de Escriche,& mandatum Iudicis Turoli de præconizando bona per tempus fori, quæ quidem,nullitatis notorię vicio subiacere,cum omnibus inde sequtis pleno,& aperto profitemur ore: Hisce namque solemnibus, ac festiuis diebus, maxime Dominicis, quorum obseruatio à iure diuino proficiscitur,Iudicialis strepitus cōquiesceredebet,adeo,vt nec consentientibus partibus, processus habitus, teneat, nec sententia,quam huiusmodi diebus contingeret promulgari, roboris aliquam obtineat firmitatem, & hoc,siue ius comune,siue foros Regni generales, siue particulares Turoli attendamus, in quibus licet aliqui casus excepti reperiantur, noster tamen sub generalitate regulæ cōtinetur, nec ad casus exceptos trahi potest.Quod adeo certum,ac clarum censemus,vt nulla alia confirmatione indigere arbitremur,quā ipsorū fororū lectura ex qua id, sole clarius, cuiq; nisi cecutire volēti, apparebit. Nec cōsuetudo allegata per Ciuitatē, ei suffragari potest.Tum quia circa celebrationem Curiæ in diebus in honorem Dei feriatis in Ciuitate Turoli, nihil ab ea probatum extitit,minusque in diebus Dominicis.Nec tādem pręscriptio,cui Ciuitas innititur fomentum habere potest, nec nullitatem supradictam euitabit,nam subducto de medio, tempore pupilaris ętatis dicti Dionysij,factaque temporis legitima cōputatione,vsque ad tempus litis motæ, non reperiuntur fluxi,nisi terdecim anni,parū,plus, vel minus.Per judicialem autem controuersiam, legitima perscriptionis inducitur interruptio, factaque aprehensione cum partibus in ea contendentibus,ius,tam circa possessionem, quam circa proprietatem,illęsum,ac saluum pręseruetur, exceptioni præscriptio-

C nis

nis dictarum nullitatum, dominium, ac proprietatē Dionysio competentem, Ciuitas excludere non valebit. Quidquod, tempus viginti annorum, per foros Turoli præscriptionibus præfixum, si diligenter fori supradicti perpendantur, ad actionem per Dionysium propositam, minime trahi posse videntur. Ideo vero Ciuitati retentio, pro quantitate supradicta decem, & sex mille solidorum conceditur, quoniam constat, pro dicto iure fuisse receptam propositionem, in bonis aprehensis Sebastiano Ordoñez, à quo ius, & causam habet Ciuitas cōuenta, de cuius iure licet valde posset dubitari, nullum tamē eius respectu, nec in genere, nec in specie fuit deductum grauamen, pro parte Dionysij firmantis in cedula grauaminum per ipsum oblata. Ex quibus, & alijs ex processu resultantibus, sic pronuntiandum fore censemus, & aliàs, attentis contentis.

ALIVS vero dicti Dñi Iustitiæ Aragonū Locumtenens fuit voti, & opinionis, quod debet pronuntiari, & declarari Iurisfirmam, in præsenti processu oblatam, & præsentatam pro parte Dionysij Sanchez Muñoz prin. Hier. Abeña Procurat. fore, & esse reijciendam, & repellendam, pro vt eam reijcimus, & repellimus, quo ad omnia grauamina in processu deducta, & articulata, neutrā partium in expensis condemnando. Cætera supplicata locum non habere, attentis contentis. Ex eo præsertim, & aliàs, repellitur Iurisfirma prædicti Dionysij Sanchez Muñoz, prin. Hier. Abeña Procuratoris. Quoniam non constat de aliquo grauamine, per Iudicē, a quo illato, licet enim constet in processu de dominio, & possessione Gasparis Sanchez Muñoz, in bonis appræhensis, perque eius testamentum, in vim fideicommissi dictum Dionysium fuisse vocatum, eius tamen intentionem Turolensis Ciuitas conuenta excludit, titulo, & possessione habili, & sufficienti ad obtinendum in præsenti processu. Apparet namque, dicta bona apprēhēsa, fuisse executata virtute hypothecarum ab ipso vinculante cōstitutarum, quod de iure fieri posse, nullatenus ambigitur, & tranzata, & vendita iuridice, in vim dictę executionis Balthasari Nouella, a quo dicta Ciuitas ius, & causam habere dignoscitur, vt ex litteris narratiuis in processu exhibitis, clarè deprehenditur, quibus fidem esse adhibendam, ijsdemque legitime suam intentionem probari non est dubitandum. Quibus sic se habentibus, merito per Iudicem a quo, extitit pronuntiatum, Ciuitatem Turoli, a contentis in petitione contra

tra eam oblata, esse absoluendam, silentium perpetuum præfato Dionysio imponendo, prout eidem, id ipsum nos imponendum fore arbitramur. Neque Turoli titulum in præfata trança, & Curiæ venditione fundatum, infringere valet Dionysius, plures nullitatis causas aduersus eundem opponēdo. Nam, quæ Iudicis villæ, seu Pardinæ de Escriche incompetentiam, vel incapacitatem respiciunt, parum conuincunt, vt a priori sententia recedamus, cum certo certius sit Iudicem de Escriche, quasi in subsidium requisitum per iustitiam Turoli, non solum in viam fororum de Teruel, verum, & in viam iuris communis, competentem extitisse ad prædicta bona subhastandum, præsertim cum agebatur de bonis Petri Sanchez Muñoz, filij dicti Gasparis, tunc temporis vicini, & habitatoris ciuitatis Turoli, ac Iustitiæ de Teruel subiecti, & iustitia de Escriche, vt merus executor Iudicis de Teruel, ac minister in eis subhastandis, & trançandis reputaretur. Neque obstat Iustitiam de Escriche non potuisse, vti talem, omnimodam suam iurisdictionem venundare, ac subhastare, cum imposibile, videatur pœnes eundem iudicem, & actionem, & pasionem ipsius iurisdictionis posse concurrere, sed potius eo in casu ad suprema tribunalia, quibus latior iuris dicundi facultas tributa est, recurrendum esse sub pœna nullitatis. Nam huius argumenti vis licèt subtilis videatur, falax tamen est, iuris principijs recte perpensis, & consideratis. Nam vendito Castro, & territorio, cum iurisdictione omnimoda, iurisdictio ispa, quæ pœnes iudicem exequentem residet, non est, quæ distrahitur, sed ea iuridictio, quæ in territorio consistit, tanquam in prædicamento situs, in quo cōsideratur. Nam iurisdictio in iudice solum attenditur tanquam in prædicamento agere, in subditis vero tanquam in prædicamento pati: Vnde cum iudex castrum cum iurisdictione distrahit, non propriam iurisdictionem vendit, quatenus in eo residet, sed quatenus in territorio consistit, ac per consequens, siue eam consideremus in vendente, siue in emente translatam, semper in territorio remanere, tanquam nebulam super paludem, affirmauimus, Iudicemque illius territorij, siue ab emente positus, siue ab eo cuius bona exequuntur, consideretur, semper competentem esse ad prædictam eandem iurisdictionem subhastandam, fatendum erit, sine metu imposibilitatis, & concursus actionis, & pasionis in eodem subiecto: Aliàs enim in idem in cōueniens suprema quoque

tri-

tribunalia sæpissime inciderent: Cum eadem ratio, quæ est partis ad partem, sit quoque totius, ad totum, quod ne vtiquam dicendum est. Non igitur nullitas hæc in consideratione est. Neque etiam obstat alia nullitas nouiter opposita in præsenti processu grauaminum factorum aduersus præfatum titulum, & trãçam, quod videlicet iuxta foros Turoli, processus de entrega, siue executionis, intra duos annos sit terminandus sub decreto irritanti, & quod huiusmodi processus executionis, non solũ, nõ fuit terminatus intra duos annos verum, nec intra triginta. Nam licèt hæc ita vera sint, & a foro Turoli ita disposita censeantur, cæterum forus idem intra duos annos executionem finiendam esse disponens, disponit etiam id iusto impedimento cessante intelligendum esse: Cum igitur intra duos annos ad executionem finiendam Honoratus Sanchez Muñoz, tertius quidẽ oppositor, a collocatione creditorum, ad iudicem dieiveneris appellationem interposuerit, ac sic effecerit, quo minus executores Eleemosyne, qui executionem instabant, non potuisent eandem ad debitum finem perducere intra biẽnium, ac post modum idem executionis processus ad Regiam Audientiam euocatus extiterit, sine culpa executorum, profecto non est cur eis imputetur, quominus solemnitati forali non satisfecisse existimentur, quasi legitime impediti aliorum facto viderentur: Præsertim cum appareat in processu in Ciuitate Turoli in similibus executionibus plures extare processus, qui alijs, vel eisdem præpediti impedimentis non fuerunt intra biennium terminati, nec de nullitate, vllo vnquam tempore dictum, vt sic vniformiter obseruata ea foralis dispositio non valeat, nullitatẽ aliquã in casu nostro introducere. Neque obstat, quod præfati agentes, siue executores eleemosynæ debuerunt tale impedimentum pro viribus tollere, vel saltem protestari, quod per ipsos non staret, quominus intra biennium executionem ad debitum finem perducerent. Namque libenter fatebimur, prædictos agentes potuisse appellanti adherere, & aduersus appellantem agere, vt citius causa terminaretur, & eius exequtio intra præfinitũ tempus finiretur, at ipsos id facere teneri, & obligatos existere, sub pœna nullitatis, vel teneri protestari, libentius negabimus. Tum, quia forus Turoli id non disponit, videlicet, quod executor teneatur ita executionem intra biẽnium consumare, quod & amouere quoque, quodlibet legitimum impedimentum, obnoxius sit: Tum etiam, quia contra legem

non

nō facit, qui verba legis amplexus, eius quoq; sequitur volūtatē, ne que simile est, quod in Regno nostro praxis recepit in electionibus iurisfirmę grauaminū factorū, in quibus tēporaforalia currūt, etiā im pedito vbi nō est protestatus, nā hæc praxis præterquā, quod impe dimētū non respuit, sed amplectitur, procedit in eadē instātia, at in nostro casu, in duabus versamur instantijs, in quibus praxis minime acommodatur, non igitur causa nullitatis ad alios casus, præter expressos a lege, cum sit maxime odiosa, & restringenda, trahenda est hęc, de qua tractamus. Non etiam obstat, & alia nullitas similiter de nouo opposita in præsenti processu grauaminum factorum, quod scilicet iuxta, foros Turoli, ac etiam Aragonum in diebus Dominicis, & festiuis curiæ Iudicum secularium nequeant celebrari, nec in eis in curia processus, & enantamenta fieri, & actitari, at in occur renti casu per literas narratiuas in processu exhibitas a Ciuitate Tu roli, circa executionem dictæ Pardinæ de Escriche, deprehenditur, duo enantamenta facta fuisse in iudicio diebus feriatis, & Dominicis, reportatio videlicet literarum responsiuarum Iudicis requisiti dictæ Pardinæ, & alterum post factam trāçam, & collocationem, & appellationem dicti Honorati Sanchez Muñoz, petitio scilicet quę dam Petri Gamir Proc. dictæ Eleemosynę requirentis Iudicem Turoli, quatenus non obstante dicta appellatione confirmaretur sentētia collocationis creditorū superius lata, ergo iudicium, processus, & omnia inde sequta, nullius erunt momenti. Cui quidem nullitati facile respondebitur, si aduertatur primo, quod per foros Turoli constat Curia a Iudicibus celebrari in similibus executionibus, & emplaçamentis in portis suarum domorum, vt facile sit in ijs nō multum strepitus iudicij considerari. Secundo, forum Turoli incipientem. *Mando encara, titulo de los dias feriados*, disponentem dies Dominicos, ac feriatos, in honorem Dei, esse feriatos, disponere etiam pro Calomnia de Palacio, deuda, o querella de hermandad, diebus Dominicis, iudicialiter procedi posse, & similiter paulo inferius sic ait: *Encara en aqueste tiempo la Corte del dia de Viernes en el dia de Domingo sea juzgada*, & sub Rubrica, de fianças de saluo, folio septuaginta, & duo, col. prima, sic inquit, *mando encara, que qualquiere vezino de la ciudad, que de otro se temera, tomele fianças de saluo, valederas con el Iuez, y con el Escriuano, o dos Alcaydes, Iurados, y esto se haga dentro de vna semana, è re*

D *cibida*

cibidas las fianças de saluo el Iuez aplaçado, que el primer dia de Domingo las firme, o que de otras en concejo, como es fo. Et si por ventura al plaço no viniere aquel aduersario pague diez marauedis Alfonsi, al Iuez, è a los Alcaldes, y al querelloso, y de fianças hasta el premero dia Domingo, como es dicho. Et in alijs multis foris, id ipsum scriptum reperitur inuentibus hisce diebus Curias, & iudicia posse celebrari, & apparet in processu, quod ocasionē præstat, vt non immerito fateamur verbis fori primi recte pe pensis dies Dominicos, & festiuos non omnino eo loci, in honorem Dei censeri feriatos, prout de iure censentur, sed in eius obseruantia, & in quibus casibus verificentur ambiguitatem constitui, & du bitari posse, an casus nostrę executionis, & trancę de exceptuatis existat, vt pœnam nullitatis euitemus. Ad hæc forus is, Mādo encara, titulo de los dias feriados, clausulam irritantem non habet, nec pœnam nullitatis imponit, imo contra facientes in quinq; solidos mul tat, iudici, & parti applicandos, quod actus validitatem supponit. Tertio animaduertendum est, serenissimū Regem Alfonsum Ciuitatibus Turoli, & Albarracini in principio suarum constitutionum, non solum specialiter foros stabilisse, ac ordinasse scriptos in volumine fororum, sed omnes alios foros, & consuetudines, quos ciues ipsi ab eodem Rege exposcere voluerint, & ad suam propriam vtilitatem quęrere, & inuestigare potuerint, vt ex foris ipsis, folio primo, columna tertia, circa finem, clarissime deprehenditur, ansam, & ocasionem præbuisse, quod in ea Turolensi Prouincia tam varie, & tam late fororum obseruantia intelligeretur, vt alij in rectum alij in reprobum sensum foros trahentes, id solum obseruabant, quod vnusquisquisq; Iudex constituerat, quasi, quod, id demū obseruandum esset, quod quisq; Magistratus obseruandum statueret, prout sua quemquam trahebat voluptas, quod cum adeo perniciosum esse Reipublicę videretur, inuictissimo Regi nostro Philippo II. totis viribus, totoque connatu corruptellam hanc radicitus extirpare nixus est, & ad finem perduxit, eamque Prouinciam à legibus Aragonum, sic distantem, foris Aragonum aggregauit, eo sæpissime principali motiuo repetito, quod in ea Prouincia nullæ certæ leges vigerent, quā eas, quas vnusquisq; Magistratus cōstituisset, ac vigere voluisset: Si igitur fororum Turoli vsus, & obseruantia tā varia extitit, & incerta, vt notissimum est, periculosum esse videtur, sub

sub nullitatis vellamine, saltem in hoc casu ob non obseruantiam eorundem, executionem pardinę de Escriche, trançam, & venditionem infringere, quam tunc temporis secundum communem obseruantiam, & stylum in alijs, & similibus actibus fieri solitum, validam fuisse omnes censuerunt, partesque litigantes pluries approbarunt. Ad hęc, constat in processu per plures testes deponentes, super articulis quadragesimo primo, quadragesimo secundo, quadragasimo tertio, & quinquagesimo tertio cedulæ defensionis Ciuitatis, dicentes se vidisse, & à suis maioribus audiuisse pro censualibus, & Comandis alijsuè debitis ciuilibus, diebus feriatis, & Dominicis, executiones fieri, & captiones personarum in Ciuitate Turoli, & eius districtu: ergo idem quoque de hac nostra executione, & reportatione literarum facta die Dominico, inqua, tam parum præiuditium consistebat, asserendum est: Neque in consideratione est, quod licet testes deponant de executionibus factis diebus Dominicis, non tamen deponunt de actu celebrandi Curiam diebus Dominicis, non video cur non possit ad id etiam ijsdem diebus Curia celebrari, supposito, quod forus qui disponit, & prohibet executiones fieri ijs diedus, prohibet etiam celebrationem Curiarum in eisdem, ergo obseruantia executionum, ad eandem quoque celebrationem trahenda est, cum in ea maius præiuditium personis causetur, quam in prædicta celebratione: Insuper explorati iuris est etiã in materia maioratus, causam agitatam cum possessore, & sic cum legitimo contradictore, omnibus successoribus, & nocere, & prodesse, nisi euidens collusio detegatur, & probetur, ac similiter causam, de qua in pręsentiarum cum Petro Sanchez Muñoz, possessore maioratus, & Pardinæ de Escriche, fuisse ductam, & ad omnes actus legitime citatatum, ipsumque non solum, non opposuisse de tali defectu, & nullitate verum, & expresse, aut saltem tacite consensisse, & approbasse. Ergo, & successoribus, nocebit, præsertim cum pro vero debito contracto per constituentem maioratum bona fuerint executata ex causa pręcedēte constitutionem, nec in processu appareat de collusione, prout re vera apparere debebat, vt enantamenta facta cum eodem, successoribus, non nocerent: Defectus igitur is, & nullitas prædictam trancam, & venditionem Curię non poterit infringere. Neque tandem obstant aliæ quã plures nulli-

nullitates in processu allegatæ, nam, vel non probantur, prout probari debent, vel nullitates non sunt, saltem, ad prædictam trançam, & executionem infringendam. Ex quibus omnibus ita perpensis, & alijs multis, ita pronuntiandum esse censemus, & aliàs, attentis contentis.

Sig†num mei Antonij de Soria, in Ciuitate Cæsaraugustæ domiciliati, authoritateque Regia per totum Regnum Aragonum publici Notarij, ac Regentis principalis vnius ex Scribanijs Curiæ Domini Iustitiæ Aragonum, & eius Consilij Secretarij, qui huiusmodi vota, & motiua à originali libro dicti Cōsilij de anno millesimo sexcentesimo decimo sexto, in quo continuata existunt, manu aliena extraxi, & cum suis originalibus bene, & fideliter comprobaui. In quorum fidem, & testimonium præmissorum, meo solito, quo artis notariæ vtor signo, signaui.